

ab inferioribus ad minimum, hodierni enim majus statuunt, distat, multiplica per 860. milliaria, quibus constare deprehenditur terræ semidiameter, & provenient milliaria 12040000. quibus superatis finis est expansi. Ponamus jam cum Christiano Severini Longomontano, altitudinem aëris ad quam vapores ascendant, esse tredecim milliarium, quam tamen nubes aquis gravidas adeò non assequi, deprehendit ipse & Kepplerus, ut ultra dimidium milliare à terra non distent. Vide si placet Disputationem meam de Elementis, antehac habitam, vel potius *Keppleri Epit. Astron. Copernicanae. lib. 1. p. 21. & Longomontani 2. Spher. c. 11.* Ego verò ponam intervallum milliarium tredecim esse id, quod terminet aquas illas superiores. Per tredecim milliaria divide milliaria 12040000. & invenies eam partem cœli, quæ interstitium est inter aquas inferiores & terminum nubium altissimum, habere se ad distantiam summi cœli à terra, ut 860. ad 12040000. seu ut clarius loquar, ut unitas ad 926153. imò, saltem ad 900000. Nam pro liberalitate solita Mathematicorum, quia alias talia non tam milliariis, quam terræ semidiametris metiri, imò ipsos diametros nō tam numerare quàm æstimare solent vicies sexies millia adhaerentia dono tibi, ut meæ etiam liberalitatis celebrandæ causam habeas. sed ô te ingratum! qui id quod tot millibus milliarium inferius est, totidem millibus altius contra Spiritum sanctum pronunciare audeas.

§. 3. Quod de locis ut putant parallelis objici nonnulli putent posse, uti est *Psalmus 104. & Canticum trium puerorum in fornace Babylonica*, id nos non movet, sive enim de aquis nubium sive iis, quas supra cœlum collocatas existimo, loquantur dicta illa; verum est, quod à Deo in alto sustententur; hæc fortasse usque ad finem mundi, illæ autem dum exigat ratio tempestatum ut pluvix decidant. Tales autem apud Mosen intelligi prohibet ipse Moses, qui loco & stilo multum diverso ab eo, quem de aquis cœlestibus usurpat, aquas pluvias describit, videlicet *Genes. 2. v. 5. & 6. ubi vapor ascendisse, & ex illo pluvia descendisse perhibentur.* Audis hîc illas aquas, quæ suppeditant pluvias, hoc est nubes, nō in prima statim creatione superius positas, sed *postea demum* per vaporem ascendisse. Ne dicam, intelligi non posse, quomodo dici possit, quod tamen, ut dictum, Moses ex ore Dei præcipuè urget, aquas nubium reverà & propriè loquendo interstitio cœli, aut partis saltem alicujus separatas esse ab inferioribus,
cùm